Pax Christi.

71.

Sicut nuper recepi vir humanissime tabulam lectionum mitto, rem sane non magni precii pro summo beneficio quod in me quoq; benignissime contulisti. Filijs tuis ego succenseo quod clam me discesserint, idq; nulla satis magna de causa nam vigent etiam nunc omnes nostrae lectiones neq; ex scholasticis quicquam audiui esse mortuum. Duo Woerdenses hinc à me dimissi sunt quum in aedibus pestis icta esset. Si quid fuit periculi in vicinia filiorum tuorum, oportuit id mihi declaratu, haec ratio discedendi à Magistris mihi non probatur. Credo eos magis desiderio suorum aut fuga scholastici laboris abijsse quàm metu periculi impendentis. Quoniam autem iam isthinc sunt, et fieri potest vt contagium hic latius serpat, nolo tibi auctor esse vt eos remittas antequam deferuerit aestas hostis. Interea domi virgendi erunt vt quae audita sunt hactenus assidue retractent non mediocrem lectionum studiorum suorum fastura, quae infoelicitas vtinam ipsis solis eueniat, vt nos apud vocationem nostram Deo clementer nos respiciente manere possimus. Quod si continget nos disparari, cogitabimus nos in communi Saxonicarum scholarum fortuna esse. Deus corroboret nos suo Spiritu vt quae ipsi placita sunt faciamus et feramus constanter vsq; ad diem exoptatissimi aduentus ipsius, Amen. Pro tua summa hospitalitate gratiam habeo et semper habebo. Precor pie ac magis accendat vt omnibus curis prophanarum rerum postpositis totus et integer in regnum Iesu Christi hoc est in aedificatione Ecclesiae ipsius incumbas. Vale. Idibus Iunij. 1. 5. 6. 6.

Amicus tuus et filiorum Custos,
Johannes Molanus.

Nobili viro. Francisco de bois. ypvic? [illegible].

Nr. 134

[= Nocr. a. 12: Nr. 71]

Nr. 135

Pax Christi.

Generose vir qui nostris olim studijs in Flandria praesidium et decus fuisti. Quamuis per iniquitatem temporum mihi non licuit tuam amicitiam colere et ea te benevolentia prosequi qua vellem: hactenus tamen recens apud me seruata est memoria tui humanissimi animi quem acerrimo iudicio praeditum cognitione antiquitatis et omni genere artium liberalium expolisti. Est in mea bibliotheca et plerunq; in meis manibus est. Plutarchi compendium de rebus gestis illustrium virorum qui vel in Graecia quondam vel apud Romanos doctrina virtutumq; gloria floruerunt. Eum librum quoties inspicio (fit autem id prope quotidie. nullo enim libro frequentius vtor) toties obuersatur animo meo iucundissima recordatio eius consuetudinis, quae mihi olim in patria cum tua excellentia interessit. In eius libri prima pagina tua manu scriptum est Symbolum quo testatum est unde liber ille ad me peruenerit. En tuus tamps du bois. Atq; hoc munusculu mihi est eo carius quod sit ab eo viro profectum quem scio in gubernatione Patriae nostrae iustitiam cum prudentia coniungere, et innocentiae omnisq; virtutis quam studiosissimu esse. Nec vero in meo exilio vlla satis vehemens causa est cur tua humanitas veterem Molani notitiam abominetur vt qui sine fraude optimam vitae partem propinquis impenderim domiq; et foris sine querela vixerim. Neq; profugi isthinc alicuius mihi sceleris conscius, Sed nemine persequente, meapte voluntate in hos Saxonicos scopulos commigraui. Scilicet vt sine contagio superstitionum bona conscientia Deo seruire et puram religionem colere possem. Non sector aliquam haeresin, maneo intra metas doctrinae prophetica et Apostolicae. retineo Decalogum. Symbolum. Sacramenta. Disciplinam idq; facio non linguae tantum, sed quantum conniti queo vitam meam omnem rego iuxta verbum Dei. Scio interim non ex operibus iustitiae mea mihi salutem constare. sed ex eius obedientia qui dilexit me et lauit me à peccatis meis in sanguine suo qui per verbum et spiritu suu me regenuit ad sanctitatem, vt in praeceptis eius ambulem omnibus diebus vitae meae. Nec vero sum adeo philoxenius vt non multo malim inter meos quàm peregre viuere, nisi me tot piorum hominum in flammis morientium exempla terruissent. Scio quàm inculpate M. Iacobus Castricius vixerit ab adolescentia quem ego et discipulum habui in Scholis et Collegam. Qualia vero passus sit à suis non est obscurum. Mihi vero imbecilli optabilius fuit fugere quam adeo infeliciter pugnare. Tredecim iam annos patria careo. Sed cuius est terra et plenitudo eius tam benigne tamq; liberaliter hic habuit vt nunquam mihi senserim patriae commoditates deesse. Quinetiam si quid deesset, tamen ex fructu Syncerae pietatis tantam capio consolationem vt facillime omnes peregrinitatis molestias perferam. Sed inimicis multa de me quae scilicet huc pertinent vt sciat tua prudentia Iohannem Molanum qui te olim reuerenter coluit, etiam nunc amicu esse non erubescendum. qui vt olim in patria per gratiam Dei bonis viris placuit. ita sibi nunc Dei beneficio inter peregrinos rem et amicos, vxorem et liberos inuenit. Ciues isti honesto loco sunt in hac Repub. Saxoniae principe. vellem in negotio quod isthic habent (quia tamen quidem fas et iura sinunt) pro nostra vetere notitia intelligere possent et me tibi de se scripsisse diligenter et meam commendationem non nihil apud te ponderis habuisse Vale vir clarissime. 12. Iunij. a. 5. 66.

prima

Deus